



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De monachis ac Conuersis in Hemmenrode, quibus ad vigilias benedixit,
Henrico Conuerso inspiciente, cap. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

tatem. Tunc ille obedientia arctatus, cum verecunda respondit: Quando prostratus coram altari pro peccatis meis, & viæ negligentijs, attentiùs oraui, ipsa beata virgo Maria mihi appares, benedictione, quam ordo noster super redeentes de via dicere consueuit, super me dedit in hęc verba: Omnipotens sempiterne Deus, miserere huic famulo tuo, & quicquid ei in via subripuit visus, aut auditus malae rei, aut otiosi sermonis, totum ineffabili pietate propitiatus indulge, per Christum Dominum nostrum. Hęc mihi relata sunt à quodam Abbatे religioso ordinis nostri, in cuius domo idem Petrus sæpius visitauit. Ex benedictione eius intellexit, eam ibidem fuisse patronam. APOLLONIUS: Felix oratio, per quam tantę Virginis meretur benedictio. CÆSARIUS: Non solum orantes, sed etiam psallentes, sua benedictione consolari consuevit.

C A P V T XII.

HEnricus Conuersus in Hemmenrode, cuius memini in distinctione quinta, cap. quinto, loquens de dæmonibus, sèpius, in solennitatibus maxime, gloriosam Virginem Mariam inter psallentes videre consuevit. Quæ nocte quadam, ipso intuite, de choro monachorum veniens, Dei filium ex se natum in brachijs gestans, chorum ingressa est Conuersorū, & more Abbatis fratres excitando circuens, ante quosdā, qui in oratione vigiles erant & deuoti, gradu fixit, filium eis ostendens, ac benedicens, deuotioni illorum cōgratulādo: tepidos autem & dormientes celerius pertransiuit, nil consolationis eis impendes. Singulos verò Conuersos in illa cœlesti circuitione visitatos nec non & neglectos prædictus Conuersus diligenter notauit, singulos domino Hermanno tunc ibidem Priori, nunc loci sanctæ Mariæ Abbatii, nominatim exprimens. Hęc ab eius ore audiui. APOLLONIUS: Simile recordor te dixisse in prima distinc^{ta} cap. 35. de Godefrido monacho Vilariensi. CÆSARIUS: Tata charitate beata Virgo Maria sibi deuotè famulantes complectitur, ut non solum orantibus, non solum psallentibus, sed etiam dormientibus benedicat.

B b 5°

C A P V T